

trictio variis modis adhiberi solet.

Prima est, quod illa distributio omnes, sumatur accommode, non universaliter, id est, non quia omnes vult Deus salvare, sed quia nullus fit salvus nisi Deus velit: sicut dicitur aliquis magister docere omnes pueros in hoc oppido, non quia omnes addiscant, sed quia nullus, nisi ab ipso discit. Et sic hortatur nos Apostolus in illo loco I ad Timoth. II, ut obsecrationes, et orationes faciamus ad Deum, ut tranquillam vitam agamus, hoc enim est acceptum apud Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, id est, a cujus voluntate pendet salus omnium, et sic debet a nobis rogari, et orari ut velit salvare.

Secunda expositio est, quod ly omnes sumatur quidem universaliter, sed universalitate quadam incompleta, et pro generibus singulorum, non pro singulis generum, sicut dicitur, omne animal fuisse in arca Noe, quia ex omni genere animantium aliquid fuit, sic ex omni genere et natione hominum aliqui salvantur.

Tertia expositio est, quod vult omnes homines salvare, non formaliter, sed causaliter, quia facit nos velle, et procurare omnium salutem; dixit enim Apostolus: *Prædicate evangelium omni creaturæ: docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.* Vult ergo omnes homines salvare, qui facit nos velle, et procurare omnium hominum salutem, sicut dicitur Spiritus postulare pro nobis, id est, facere ut postulemus.

Istæ tres expositiones sunt Augustini. Prima in libro IV contra Julianum, cap. VIII, et libro de correptione et gratia, cap. XIV. Secunda in enchiridio, cap. CIII. Tertia in libro de correptione et gratia, cap. XV.

Nihilominus licet ab Augustino ita expresse tradantur istæ exposi-

tiones, displicuerunt p. Vasquez, qui disputatione illa LXXXIII, cap. II, num XII, inquit: « Frustra Augustinum noluisse concedere hanc voluntatem Dei circa omnium salutem, et locum illum Pauli nullo ex illis tribus modis recte exposuisse. » Id Vasquez loquitur de Augustino. Et primas duas expositiones ex eo rejicit, quia Apostolus ita acceptum docet esse Deo, omnes tranquillam, et rectam vitam agere, sicut omnes salvari; sed Deus vult voluntate beneplaciti omnes recte vivere: ergo eadem voluntate vult omnes salvari. Tertiam expositionem rejicit ex eo quod Deus non facit ut singuli velint salvari, et rectam vitam agere, ut compertum est: ergo si facit velle nos quod omnes salventur, necesse est dicere quod facit nos velle, non quod omnes simpliciter salventur, sed ex omnibus aliquos, vel, ut quicumque salvantur a Deo salventur, quod est recurrere ad duas priores expositiones. Similiter has expositiones non probant p. Suarez, relect. de libertate Dei, sect. II, numero IX, et Molina in concord. q. XIX, art. VI, disp. II. Quia in prioribus verbis cum dicit Apostolus: *Obsecro fieri postulationes, orationes, etc. pro omnibus hominibus*, ly pro omnibus non distribuit restrictive, et incomplete, sed absolute: ergo neque in sequentibus verbis, cum dicit hoc esse acceptum coram Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, ly omnes distribuit complete et simpliciter, non restrictive, quia utramque distributionem æquiparat Paulus, et unam infert ex alia.

Confirmatur, quia Deus omnibus proposuit salutem, nemine excepto, ut salvari possint si velint, omnibus nullo excepto, dedit præcepta, et legem, nullius peccatoris vult mortem, sumendo omnes istas distributiones complete et simpliciter: ergo non est cur restringantur ad incom-

pletam distributionem vel accommodam. Ac denique, quia hoc obiectum, scilicet velle omnibus hominibus salutem, bonum est: ergo Deus complaceat in illo, et exinde movetur ad exhortationem observandi mandata, et penitendi omnibus hominibus sine ulla exceptione; si autem Deus non haberet veram voluntatem ut omnes simpliciter salventur, ad quid essent istæ invitationes et exhortationes, nisi frustratorie et irrisorie?

XXXII. Cæterum hæc argumenta omnino futilia sunt, ut tanti patris menti opponantur. Et omnia illa unico verbo possunt solvi, dicendo quod expositiones Augustini non contradicunt expositioni Damasceni, sed utraque procedit in diverso sensu, et sub diversa ratione, et una non contradicit alteri, sed verum dicit, quia et verum est quod Deus voluntate antecedenti, et inefficaci vult omnes simpliciter, nullo excepto, salvos esse, et verum est quod non vult voluntate efficaci, et consequenti omnes de facto salvari, vult tamen ex omnibus generalibus aliquos, et nemo de facto salvatur nisi per ejus voluntatem: si ergo hoc verum est, et negari non potest, cur expositiones istæ rejiciendæ sunt? Aut quare non possunt illi loco accommodari, sine præjudicio tamen alterius, quæ est Damasceni, quia una alteri non adversatur?

Unde ad primum argumentum Vasquez, respondetur eodem modo Deum velle omnes rectam vitam agere, et omnes salvari. Et vult omnes recte vivere distribuendo ly omnes simpliciter, quantum ad voluntatem antecedentem, et inefficacem, quantum autem ad efficacem non vult omnes recte vivere, cum aliqui permittantur prave vivere, et multi. Vult tamen ex omni genere aliquos recte vivere, sicut et salvari, et qui-

cumque bene vivit, non nisi per voluntatem Dei sic vivit. Eodem ergo modo utrobique loquitur Apostolus.

Ad secundum fundamentum dicitur, quod Deus non facit ut singuli velint salvari, si quidem multi volunt perdi, sed facit nos velle omnium salutem, quia pro omnibus facit orare Ecclesiam suam, et omnibus salutem procurare, et prædicare; sicut de Apostolis ostendimus, quibus jussit ut omnes discerent.

Ad fundamentum Suarez respondetur, quod in prioribus verbis Apostolus jubet ut oremus pro omnibus distributione simpliciter, et completa, et hoc infert ex quadam distributione incompleta quoad voluntatem salvandi. Et licet ex distributione incompleta non possit inferri distributio completa circa idem, bene tamen ex voluntate volendi salvare omnes incomplete, potest inferri obligatio orandi pro omnibus complete sub intellecta quadam conditione, quod nos nescimus quos velit Deus salvare, aut non salvare. Sic ergo vis consequentiæ Apostoli juxta hanc expositionem stat in hoc: Deus vult ex omni genere hominum aliquos salvare, et ad hoc sunt necessariæ orationes nostræ, et nescimus quos velit in particulari salvare: ergo debemus pro omnibus orare, nullo excepto, fortasse ille est qui salvabitur. Sicut evidenter scimus non omnes fideles salvari loquendo in generali, et nescimus qui in particulari ad infernum, qui ad purgatorium decedunt: ergo pro omnibus orandum est, nullo excepto.

Ad confirmationem respondetur, omnes illas distributiones esse completas, et simpliciter universales; non tamen pertinere ad voluntatem efficacem Dei, quia non salvat omnes de facto, sed ad generalem et antecedentem, quam non negamus,

Si tamen de voluntate consequenti et efficaci salvandi loquamur, illæ distributiones non sunt universaliter accipiendæ, quia sic non verificantur, possunt tamen verificari in sensu accommodo et restrictivo.

Quod vero dicitur illam voluntatem salvandi omnes simpliciter esse bonam, et placere Deo, respondetur, placere Deo secundum se, et ante-

cedenter, non efficaciter, et consequenter, sic enim de facto Deus id non vult, nec placet. Voluntatem autem illam antecedentem nos non negamus Deo convenire, nec fictitiam dicimus; sed addimus quod etiam loquendo de voluntate efficaci, illa universalis potest suum sensum habere, sed restrictive aut accommodo ut explicatum est.

QUÆSTIO XX.

DE AMORE DEI.

SUMMA LITTERÆ TEXTUS.

Ad hunc actum, qui est amor reducit D. Thomas omnes qui Deo possunt convenire, quia sub isto continentur, aut ex illo derivantur.

In articulo primo ostendit in Deo esse amorem, eo quod amor est primus actus appetitus, seu voluntatis, quo fertur in bonum tamquam in primum et principale objectum: omnes enim alii actus præsupponunt amorem, qui est tendentia ad bonum; si enim actus sint circa malum, utique bonum est prius malo; si autem sint circa bonum sub aliqua speciali conditione, v. g. circa bonum habitum vel habendum, etc. tales actus jam supponunt attactum ipsum bonum, et consequenter amatum. Nulli ergo voluntati deesse potest amor, hoc ipso quod aliquem actum habet.

In secundo articulo ostendit ad quæ objecta se extendit amor Dei circa creaturas. Et dicit se extendere ad omnia existentia: ipsum est enim esse bonum est, et cum sit causatum a Deo, volitum est a Deo, qui per voluntatem illud causat. Nihil autem aliud est amare, quam velle alicui bonum: in quantum ergo Deus vult aliquod esse quod est bonum, amat. Sed dissimiliter ad nos, quia nos supponendo bonum quod amemus, et a quo provocemur: Deus causando, et creando bonum quod vult.

In articulo tertio et quarto loquitur de amore Dei comparative ad hæc objecta volita, videlicet an quædam magis amet, quam alia, an omnia æqualiter. Et secundo, an magis amet ea quæ sunt meliora. Et circa primum, docet articulo tertio, quod Deus magis amat unum, quam aliud ex parte rei volitæ, licet non magis ex parte actus, quia eodem simplici actu omnia vult, sed non idem, et æquale bonum vult omnibus, sed magis uni quam alteri, quia diversum, et æquale bonum vult diversis rebus. Circa secundum autem ostendit necesse esse quod Deus magis diligat meliora, cum hoc ipsum quod est meliora esse, ex Dei participatione et voluntate habeant, quia scilicet majus bonum eis vult.

Si tamen de voluntate consequenti et efficaci salvandi loquamur, illæ distributiones non sunt universaliter accipiendæ, quia sic non verificantur, possunt tamen verificari in sensu accommodo et restrictivo.

Quod vero dicitur illam voluntatem salvandi omnes simpliciter esse bonam, et placere Deo, respondetur, placere Deo secundum se, et ante-

cedenter, non efficaciter, et consequenter, sic enim de facto Deus id non vult, nec placet. Voluntatem autem illam antecedentem nos non negamus Deo convenire, nec fictitiam dicimus; sed addimus quod etiam loquendo de voluntate efficaci, illa universalis potest suum sensum habere, sed restrictive aut accommodo ut explicatum est.

QUÆSTIO XX.

DE AMORE DEI.

SUMMA LITTERÆ TEXTUS.

Ad hunc actum, qui est amor reducit D. Thomas omnes qui Deo possunt convenire, quia sub isto continentur, aut ex illo derivantur.

In articulo primo ostendit in Deo esse amorem, eo quod amor est primus actus appetitus, seu voluntatis, quo fertur in bonum tamquam in primum et principale objectum: omnes enim alii actus præsupponunt amorem, qui est tendentia ad bonum; si enim actus sint circa malum, utique bonum est prius malo; si autem sint circa bonum sub aliqua speciali conditione, v. g. circa bonum habitum vel habendum, etc. tales actus jam supponunt attactum ipsum bonum, et consequenter amatum. Nulli ergo voluntati deesse potest amor, hoc ipso quod aliquem actum habet.

In secundo articulo ostendit ad quæ objecta se extendit amor Dei circa creaturas. Et dicit se extendere ad omnia existentia: ipsum est enim esse bonum est, et cum sit causatum a Deo, volitum est a Deo, qui per voluntatem illud causat. Nihil autem aliud est amare, quam velle alicui bonum: in quantum ergo Deus vult aliquod esse quod est bonum, amat. Sed dissimiliter ad nos, quia nos supponendo bonum quod amemus, et a quo provocemur: Deus causando, et creando bonum quod vult.

In articulo tertio et quarto loquitur de amore Dei comparative ad hæc objecta volita, videlicet an quædam magis amet, quam alia, an omnia æqualiter. Et secundo, an magis amet ea quæ sunt meliora. Et circa primum, docet articulo tertio, quod Deus magis amat unum, quam aliud ex parte rei volitæ, licet non magis ex parte actus, quia eodem simplici actu omnia vult, sed non idem, et æquale bonum vult omnibus, sed magis uni quam alteri, quia diversum, et æquale bonum vult diversis rebus. Circa secundum autem ostendit necesse esse quod Deus magis diligat meliora, cum hoc ipsum quod est meliora esse, ex Dei participatione et voluntate habeant, quia scilicet majus bonum eis vult.